

dia prouectis, præter feram agnitionem strenuæ inertiae, & molestiam dediscendi relinquunt. Quæ littarum intemperies, omnes pæne doctrinas tanquam contagio corripuit: ex quo, quisque ambitionis suæ aut ignorantiae spolium miseram iuuentutem facere cœpit. cui frustra scilicet traduntur studia, nisi & modus studiorum vſuſque detersis tandem inquinaturis vitam fōrdibus, in cordatam habitudinem & maturitatem commasculetur. sacra quædam & inuiolabilis res est, commissa regentis arbitrio ætas, quæ vt sequi ducentem potest, ita, an recte ducatur, iudicare non potest. cuius florem iam tum, quantum in se erat, nunquam passus est Noster, per inania deflorari. suis denique periculis docebat, quam animose essent spernenda, quæ scenæ vix apta, aut vmbbris tantum suis tuta, vitam olim dedecerent. Posuerat ipſe multum in omnī cognitione mathematica operæ: adeo vt nec in genethliacis diuinationibus quicquam intactum omitt̄eret. In quibuscum ad peritissimorum laudem peruenisset; generose cum fortuna infelicis laboris questus, statim quos nactus est, cohortabatur, vt temporī, vt famæ parcerent, nec in sua damna vltro incauti ruerent. Quemadmodum enim Mathesin ceteram plurimum humanis rebus conducere, publicisque morbis accensndum, tam nobilis studii neglectum